Dissertatio medica inauguralis de abortu. Quam, annuente summo numine, ex auctoritate ... Gulielmi Robertson, S.S.T.P. Academiæ Edinburgenæ Præfecti ... / eruditorum examini subjicit Richardus Harris, Hibernus ... Ad diem Decembris [1762] hora duodecima meridiana.

Contributors

Harris, Richard. Robertson, William, 1721-1793. Academiae Edinburgenae.

Publication/Creation

Edinburgi: Apud Hamilton, Balfour, & Neill ..., 1762.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/sqb4ja4r

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection 183 Euston Road London NW1 2BE UK T +44 (0)20 7611 8722 E library@wellcomecollection.org https://wellcomecollection.org 61583/19

Digitized by the Internet Archive in 2018 with funding from Wellcome Library

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ABORTU:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Aufforitate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P. ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI:

NEC NON ET

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu, Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS.

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

RICHARDUS HARRIS, HIBERNUS.

Parce precor gravidis, facilis Lucina, puellis, Maturumque utero molliter aufer onus!

OVID.

Formosae medicas applicuisse manus.

Phoebe fave; laus magna tibi tribuetur, in uno
Corpore servato, restituisse duos.

TIBULE.

Ad diem Decembris, hora duodecima meridiana.

E D I N B U R G I:

Apud Hamilton, Balfour, & Neill,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXII.

INAUGURATE

TO DO DO D

ANNUENTE SCHOOLSES

GULIELMI RUBERTSON, S.S.T.P.

AND THE PACULTATIS MEDICE MORNING

medical as engineers entology at subsembles

316718 СЛАНОТА



em Decembers, hors disperims upradiana

April Hayanasa, Barasaya, E Mana

MENTODER I SPINST

THOMAE HARRIS,

PATRI SUO OPTIMO,

. S. As condens, Fairs pre-

OUID multa, PATER Charissime! Te mihi •Custos potior ac fidelior, nec unquam fuit, nec esse potuit. Qualia Parentibus proles, amico amicus, cognatoque cognatus, talia Tibi debui: Ut qui mihi vitam utendam non tantum dono dederis, aetatemque meam, puerilem junioremque, liberali manu excolueris, verum etiam quo sit felix et Salutaris, ac secundas adversasque res aequo animo ferat, ex exemplo Tui probatissimo, assuefeceris. Quorum ego sensu, ex alta mente, commotus, cui, praeterquam Tibi, dicatas velim hasce, qualescunque fuerint, operae meae primitias, tuaeque benignitatis accessorias?

Cui, quodcunque meum est, jam acceptum refero, adscribamque commoda futura. Ad Te igitur, in boc opusculo, confugit anima grata, studio elata, facultatis parum locuples. In terris diu vivas, interque turs verseris, perpetuaque valetudine fruaris, caput venerabile canitie impeditus, tuifque laetus ac beatissimus: At tandem, Fatis prementibus, exfolutisque fragilitatis humanae nexibus, serus in coelum redeas, multis bonis desideratus; et Coelicolis immixtus, primis labris bona, non mortalia, gustes: Et DEUS ille Summus, bonorum omnium Fons, Tibi persolvat grates dignas, et præmia reddat debita: Haec omnia, GENI-TOR Charissime! summis votis exoptat Parente perfausto dignata Proles, et divinis humanisque omnibus nexis, taliumque beneficiorum sempiterna memoria, devinctus exorat

FILIUS

R. HARRIS.

DISSERTATIO MEDICA,

ufquequaque. Venia o luis follaite, viras e-

mollire coepit, catho, lactoque, commune

A B O R T U.

CADEMIÆ hujus illustrissimae institutis obtemperantibus, quum necesse habeatur, ut scientiae nostrae medicae speciminis aliquid in publicum proferamus, quo Doctoratûs gradu et honoribus condigni censeamur; reverentia sexus amabilioris, et humani generis, in propaganda specie, utilitas, argumentum de Abortu, nobis tractandum, subministravit. Nil enim, ad venustatem usuramve valens, aeque effingitur, ac muliebris fabrica. Non modo omnes, animo animatuque praeditos, per contactum viri conceptos, animatosque, sustentat mulier, refovetque; verum etiam, blanda conciliatrix, modis morigeris, varia vexamina concinnatque discrimina mundi, et optabiliorem et tolerabiliorem vitam reddit : Nec igitur erit prae-

A

ter officium quod eis debemus, naturalem earum imbecillitatem, delicatioremque structuram, contueri. Et quidem, ex infinito aevo, usquequaque, Venus, pro suis sollicita, viros emollire coepit, casto, laetoque, connubio;

Vocibus, et gestu, cum balbe significarent,
Imbecilliorum esse æquum misererier omnium." *

Ar vero, priusquam res ipsas aggrediamur, adnotanda sunt quaedam, inter uterum virgineum, interque gravidum, discrimina; quibus mutationes in utero, gestatione sactae, innotescant; et ex eis, in causas et essectus harum mutationum, sorte inducamur: Quibus ex indiciis, optime elucescat argumentum, quod proposuimus pertractandum.

UTERUS virgineus, in pelve situs, aliisque organis leviter connexus, pressurae parum obnoxius. Substantia hujus, cellularis, paulatim distensilem reddit: Fibrae autem musculares, amotà causa distensorià, valde contractilem. Multifaria vasa, contortilia, ingentem

^{*} Lucr. lib. 5. ver. 1021.

gentem sanguinis copiam, admissam, sustinere valent. Positio et structura, influxum sanguinis, a corde et arteriis, adaucto, a causa qualicunque, momento, quam in pleraque alia organa, in hunc expediunt magis promptum atque facilem. Vafa, quorum extrema, in hujus cavum patentia, vasorum extremis, in quasvis praeterea cavitates organicas patentibus, majora, quam aliorum propterea organorum vafa, facilius dilatantur. Quicunque liquores in cavum hujus immittuntur, ex eo, per os uteri, semper apertum, et sub infima parte fitum, cito elabuntur. Virginibus, sub ipso tempore pubertatis, adolescentibus, liquores, in corporis incremento hactenus confumpti, laxatis vasis, commorantes, inhaerescunt, plethoramque inducunt; quibus omnia vasa, quam oportebat, magis distenduntur, quoad mammae turgescant; communis gravedinis sensus universum corpus pervagatur; caput tentatur; respiratio, praecipue in motu, difficilis; appetitus dilassatur; venter, in regione praecipue hypogastrica, cruciatur: Donec tandem vasa uterina, paulatim dilatata, in uteri cavitatem,

verum sanguinem admittunt; et sanguinis sluxus, per apertum os uteri, vaginamque, cum levatione omnium symptomatum, stillatim permeat. Posteaque, singulis fere mensibus, a pubertate prope usque ad senectutem, exitum petens, hicce sluxus dicitur Menstrualis.

FOEMINAE praegnantis uterus, figura flaccida et oblonga in globularem prope demutata, paulatim distenditur; vasa amplisicantur; substantia cellularis, fibraeque musculares, apertius sese ostendunt; an vero laterum crassities augeatur, dubium *. Vaforum ora, in hujus cavum, diametro majore, amplificantur; at, eis applicatis, foetûs secundinis obstruuntur: Os uteri constringitur, et, ubi latera parum contigua, glutine crafso viscidoque oblimatur; evacuatio menstrualis nulla peragitur: Sub primis praecipue gestationis mensibus, symptomata commemorata, quae fluxum menstrualem praecedunt, frequentius cernuntur; ac, in plerisque gravidis, majore cum violentia, praecipue,

^{*} Vide quid de hac re dicatur; Phys. Essays, vol. 1. art. 17.

nausea, vomitusque: Haecce autem symptomata, sub extremis gestationis mensibus, fere remittuntur.

Comparato hocce utroque uteristatu, liquet, Omnium rerum Creatorem, per corporis foeminei fabricam, materiem, alendo foetui idoneam, comparâsse; quae, cum in hosce usus non indigeatur, per sluxum menstrualem excernitur: At, foemina praegnante, retinetur. Ac licet, per assuentiam supervacaneam, vix etiamnum grandescente foetu, permultis malis obnoxia sit mater; attamen uteri vasorumque, quae tum in statu siunt minus extensili, facultas, per copiam necessariam, suppeditatam, pollens, vires proportionatas, augendis adaptatas, acquirit.

E fibris muscularibus, post gestationem magis conspicuis, arbitremur licet eas, majores vires, quae uteri contenta excludant, exferere posse.

Auct is uteri contentis, uterus etiam augetur: Rectum vesicamque si adurget, alvus constringitur: Si vesicae fundum degravat, micturitio frequens; si cervicem, ischuria, inducitur.

inducitur. Vasis internis externisque iliacis compressis, foeminas praegnantes, infimarum partium debilitate, crurumque tumoribus oedematicis, laborare videmus. Altius assurgens, viscera abdominalia sursum premit, liberum sanguinis transitum per cor impedit, indeque in pulmonibus stagnationem, unde tussis, inducit. Anhelitus etiam, hujus mole interceptus, diaphragmate sursum compresso, et thoracis cavo diminuto, haud raro consequitur.

C A P. I.

DEFINITIO.

Definitio subtilis hujus morbi, prout a plerisque traditur auctoribus, tam est rationis, quam utilitatis, expers. Si, ut inquiunt, semen virile, a primo ad septimum usque diem, rejiciatur, vocari poterit essuus; ab eo deinde, sere in spatium usque trimestre, appellatur expulsio; at abhinc usque, dum partu

partu praepropero foeturas invalida septimanas ediderit, occupatur nomen Abortus; et ab hac denique periodo, ad naturalem infantis queruli demigrationem, hoc est, in lunam ab impregnatione decimam, soemina parturiens dicitur laborare.

Non vero ita ait Hippocrates: Apud eum bifaria rei totius dispertitio: Essurus, Εμτρωμα. Per priorem intelligebat, seminis resluxum, nondum animatum, essormatumve; per posteriorem, intempestivam, in rejicienda soetura, totis membris integra, animatuque praedita, Naturae frustrationem.

Ex eo itaque est, ut abortionem nuncupem, ex quo tempore semen siguram humanam induerit, et animatum evaserit, ad mensem usque septimum, initum, dividuumve; adeo ut soetus, parturitione peracta exclusus, immaturitate imbecillis, vitales auras diutinus non sustineat.

C A P. II.

ab had denique periodo, and naturalen la-

porte praeproxico focieras ilvelida feptiera-

DIAGNOSIS. SYMPTOMATA.

Partus, immaturi ac naturalis, discrimina facile internoscere possumus, si quaeramus, An foemina parturiens justos gravidationis calculos, exactis mensibus, adimpleverit; an, vel animo, vel corpori, quaedam affectio subitanea nuper acciderit, quae sobolem immaturam intempestivius praecipitem egerit; an ad abortiendum mulier prona fuerit; an denique corporis aegrotantis habitus malignior huic malo paruerit.

SI foecundationis intempestivitas inauspicatò supervenerit, unicuique statim conspicuum siet; insecutura autem, imminensve, nullis externis oriunda causis, per nuncios hosce praecursorios innotescet. Ingravescit corpus; rigores leviusculi extrema invadunt; et haud infrequenter, per totum corpus, horripilatio; pulsus citus ac plenus evadit; lumbi venterque doloribus, os pubis, sacrumque versus, tendentibus, afficiuntur; visceri-

bus abdominalibus tandem gravedine laborantibus, adoritur nausea, vomitusque. Symptomatis hisce aliquamdiu ingravescentibus, insequitur oris uterini relaxatio; humorisque aquosi, subrubescentis, effluxus: Mammae extenuantur; animo noununquam deficit mulier; et tandem, concomitante cruoris diluvio, fuccedit foetûs exclusio.

C A P. III.

CAUSE PROXIME.

Causas contuentibus, quae foecundationis conatus frustratos destituunt, et immaturos alumni, uterum incolentis, comminantur exitus, compertum est, omnes sub articulis comprehendi subsequentibus; scil. Arctiorem uteri contractionem; pressuram, concussionemve, abdominis, partiumve vicinarum, graviorem, uterum offendentium; violentiorem fanguinis circumfluentis impetum; affluentiam parciorem, lentioremve fanguinis circumflui progressum; remissiorem oris uterini

claufuram; postremoque, lacrymabilem foetûs, parum maturescentis, occasum.

CAUSAE immediatae, foetûs immaturiùs excludendi, licet necessario sint, vel impetus naturalis, eum deorsum premens, qui vires oris uterini contractiles superet; vel ea, in uteri orificio, lateribusque, debilitas, quae uterina contenta retinere nequeat: Adeoque hae duae, revera, causae proximae fiant, quae aborfum creent, et spes inanes relinquant : Quum tamen ab aliis causis pendeant, quae, in muneribus suis peragendis, operam propius navant; quumque aliae praetereà res in hocce morbo concurrant: Causarum proxime accedentium, caeterarumque, discrimina accuratius pertractare nolui. Sufficiat verò, si omnes, uno ordine, sub communi causarum appropinquantium nomine, quibus uterus immediate afficiatur, recensuero.

UTERUS siquando in contractionem violentiorem stimulis instigatur, non solum placenta, per quam matri foetus adnectitur, decussatur, verum etiam oris uterini renitentia profligatur; ex quo fit, ut dilatetur, et pondera eruptura, in auras, extrudantur.

Pressura aut concussio, a quocunque casu in uterum sacta, eosdem effectus, quos, de proprio uteri impetu contractili, commemoravimus, per mechanismum, producit.

SANGUIS, velociùs circumlatus, in uterum violentiùs irruit; in placentam, repetitis iclibus, arietat; interque eam, uterumque, nexus dissolvit; foetuique hospitium renunciat.

SANGUIS, si copia rariore, graduque lentiore, circumferatur, sustentaculum, vitae recenti necessarium, parcius et malignius suggerit et distribuit: Unde sit, ut soetus, jejunus et invalidus, languescat, et intereat; adhaesionem, infirmam et famelicam, jure gravitatis et inediae, dimittat, et abortio praematuro, vivus aut mortuus, desugiat. Praeterea, sanguinis copià in vasis uterinis diminutà, uterus ipse contrahitur et diminuitur; placenta autem, interius coarctata, ex angustiis demum extricatur et expeditur.

Os uteri, laxitati, expugnatrici, cedens, adeo delassatur, ac viribus destituitur, ut renitentia facta deminuatur, et a leviusculo mo-

mento superetur; foetusque, profugus, exter-

Nonnunquam et ipse foetus, saburra sua delibratus, opus hocce dilatationis efficiet; praecipue vero, si vità omnino privetur: Ut qui, majore cum gravitate specifica subsidens, quàm cum animatus, adversus uteri fores, deferatur. Quinetiam, putrela correptus, uterum sollicitat, et in vires contractiles instigat.

C A P. IV.

CAUSE REMOTE.

CAUSÆ, quae, inducendis hujus morbi caufis proximioribus infervientes, inopinam fobolis fuborientis fugam denunciant, adeo multifariae ac diversae reperiuntur, ut parum absit, quin de methodo atque ordine digerendi, quibus opus sit, ut enarratio nostra procedat, in periculum revocemur.

Ordo autem, utcunque, erit talis: Ut, 1mo, Quibus modis, per defectum aliquem,

in foemina ipsa praegnante repertum, sibique proprium, inducatur Abortus; 2do, Quosnam effectus, errores aliqui, sub Ingestis admissi, in eo promovendo, producant; 3tio, Quosnam, et in Gestis; 4to, Ecquid puerperio justo obsuerint animi affectus; 5to, Ecquid Aëris status; et 6to, Quot, cujusmodi, et quales sint, morbi, qui eodem imprimis magis tendunt, annotemus.

§ 1. Idiosyncrasiam, habitumve, cuique proprium, contuentes, inducimur, ut aliquid, De pelvis fabrica; de foeminae praegnantis aetate; de indole haereditaria, in abortionem prona; de fystematis laxitate; sensibilitate; habitu plethorico; postremoque, desectibus, qui, in corporis excretionibus, occurrant, breviter attingamus.

Pelvis foeminea, quam masculea, capacior, quae soetum ac matricem contineat, a Natura destinatur. Inde erit, ut, quales sint degeneres pelvis arctioris essectus, videamus. In angustiore, uterus in formam globularem protendi nequit; sursum vero assurgit: Adeo ut, vel sibrae, in nimiam longitudinem porreccae,

rectae, extenduntur; quo magis stimulantur; uterique contenta, fores uterinas obnixius adurgentia, dilatant, ac patefaciunt: Vel, in majorem succrescentia magnitudinem, quam quae pelvis capacitas contineat, uterum in contractionem stimulant; ex quo erit, ut hic patescat, et inquilinus in exilium abeat.

ÆTAS, exclusioni foetuum immaturae magis opportuna, ab anno decimo quinto ad vigesimum usque quintum: Quia tum magis irritabile sit systema, et humoribus succulentis abundat corpus; quorum utrumque laxitati maxime savere novimus.

Cur vero foeminae, in abortionis labem pronae, filias ad eadem mala procliviores generent, haud facile dixerim. Factum comprobet Hoffmanni affeveratio; "Quae frequenter abortiverunt, filias generant ad idem vitium proclives *."

Quæ hactenus de laxitate annotavimus, cum de causis proximis egimus, satis demonstrabunt, quibus modis habitus laxiores illaetabilis insequatur prolis intempestivitas.

Quo

^{*} Oper. omn. tom. 3. fect. 2. cap. 9.

Quo magis irritabile sit systema, eo leviori stimulo in contractionem instigatur uterus. Hicce itaque habitus est magnopere extimefcendus, ne causa remota fiat, quae gravidam laedat, et thesauri jacturam promoveat.

SIQUIDEM meminerimus, uterum foemineum, humorum omnium redundantium, effe quasi sentinam, facile videbimus, quibus de causis inundatio plethorica effecerit, ut inquilinus expugnatus aufugerit. Sanguis enim circumfluus, impetuosius irrumpens, placentulae incursitat, agitatam pulsat, propulsamque insectatur et lacessit: Aut partium distractione, in coarctationes spasmodicas, uterini recessus stimulantur, ut incolam inominatum secernant et excludant.

An vero alvus constipatior, effectus perniciofos, in hocce malum tendentes, producat? Namque non folum foeces induratae, uterum opprimentes, in contractionem irritare valent; verum etiam, mole aut acrimonia, rectum offendente, in consortium commovent. dem modo, urinae suppressio, nociva.

§ 2. Errores, sub Ingestis admissi, vel in quantitate, vel in qualitate, nocent. Cibus, potusve, nimia copia devoratus et exhaustus, stomachum distendit; viscera abdominalia deorsum premit; uterumque ex eis offendit, et in contractiones stimulat: Forte etiam erit, ut, per assensus cum stomacho, quos ferat, in contractiones excitet. Cibi acrioris irritamentis, sanguis, velocitate concitatus, per uterum sibi vias struit, et impetuosius irrumpit, interque eum et placentam dissolutiones conciliat.

MEDICAMENTA acriora, purgamina draflica, emetica, &c. dum fanguinis impetus accelerant, et systema corporeum convellunt, genetrici officiunt, et immaturum sobolis succrescentis interminantur exilium.

§ 3. AD Gesta quod attineat: Ex jam dictis sedulo perpensitatis, facile videbimus, quibus de causis, exercitatio, saltatio, nisus, violentiores, ut in ponderis libratione, brachiorumve jactatione, vel per adauctam sanguinis impetuositatem et rarefactionem, vel per pressuram universam, mechanicam, e corporis concustione in uterum sactam, vel per pressuram

fingularem, e contractione musculorum, et gravitatione viscerum, abdominalium, connexiones uterinas solvant, onus inclusum disturbent, et de soetura desperari denuncient.

VESICATORIA, externe applicata, systema nervosum irritant, circuitum sanguinis adaugent, et essectus eosdem producunt.

VIGILIE graviores totum systema ita debilitant, ut laxitatem irritabilitatemque, memorabiles soecunditatis oppugnatrices, inducant, et in alumni detrimentum soveant: Praeterea, dum matrem emacerant, genio suo desraudatur soetus; ex quo siet, ut intereat, et infelix oneris insequatur exclusio.

Venus etiam immodica, prout a quibufdam censetur*, causa facultati pariendi parum sida, et ex qua, de salute, jure pertimescat soboles inclusa. Atque equidem, si per
analogiam ratiocinari liceret, cum soemina
prolem se concepisse senserit, ut interdiceretur, praestaret. Quod etiam in brutis animantibus observasse potuerimus, qui statim
post conceptus a concubitu abhorrescunt. Ac
nescio,

^{*} Guil. Fabr. Hild. cent. 1. obf. 80.

nescio, an fortasse etiam sexus robustioris importunitas, solummodo, sit in causa, cur species humana, prae aliis, in libidines prona, coitionis voluptatibus, post conceptiones prolificas, indulgeat. Verum enim vero consuetudo maris, et blandimenta virilia, connubiales ritus declinare non sinunt; et marito soemina, caritate et obsequio devincta, succumbit, et volentis arbitrio jus suum concedit. At vero cavendum, ne sobolem, olim conceptam, abdominis agitatio, et sanguinis in uterum derivatio, complexuumque raptura, superobruat, et exulatum mittat.

§ 4. QUINETIAM animi affectus atque perturbationes graviores, non minus quam caetera Gestorum delicta, periclitationibus eisdem inserviunt, vincula concordiae resolvunt, et divortium ingratum conciliant.

IRATIS, sanguis effervescit; pulsus celerior; validiorque evadit circulatio; ubertimque, quoquoversus, in universum corpus, sanguinem diffundit, et majore cum impetu in placentam adurget, et ab utero repellit.

Ex insperato terrore perculsis, deservescit sanguis; dirigescensque, versus interiores suas scatebras, spasmo perculsus, resluit. Remittit pulsus; palpitat et cor, nimio sanguine oneratum: Qui, cum transitum, per cor, impervium offendit, in uterum, per venas hypogastricas, uterinasque, irruit; non minimo cum periculo, ne placentam ab utero separet; vel impetu, contra eam facto; vel relaxatione, ab animi deliquio; vel ab universa totius systematis convulsione.

TRISTIBUS, et moerore confectis, omnia enervantur et debilitantur; non sine periculoso metu, ne soeturae jacturam secerint.

GESTIENTIBUS, et importuno gaudio efferatis, aeque ac irascentibus, similes effectus oboriuntur.

§ 5. AERIS status etiam proxime venit expendendus: Qui, si nimis calidus sit, sanguinem rarefacit, velocitatemque adauget; si nimis frigidus, convulsione spasmodica systema corporeum occupat; si nimis humidus, systema relaxat: Unde causa non raro suit, quae sobolem nascentem sollicitavit, et ab interitu vix retraxit.

§ 6. COMMEMORAVIMUS nimium fanguinis impetum, ut causam abortionis proximiorem: Hinc etiam sequetur, ut casus aliquis, qui febrim concitet, eandem procreet. Complures vero praeterea morbi, vel per uteri cum parte affecta consensum, vel per corporis agitationem, vel per victûs, ad enutriendos foetus necessarii, penuriam, foecundationi molesti, partubus naturalibus adversantur. Prioris exemplum, dysenteria, vesicae renumve calculi, haemorrhoides, &c. Alterius, cholera morbus, vel quicunque alius, vomituritionis, tussis, screatûs, aut anûs ejectionis, comes: Posterioris, febres lentiores, haemorrhagiae, dysenteriae, &c. quae matrem emaciant, foetumque interimunt, vel inopia conficiunt.

C A P. V.

Cur foeminae, quam caetera animalia, sint abortui magis opportunae.

CLAR. Monro, Pater, in ejus Dissertatione * De soetus nutritione, hujus pro causa habet mali, mulierum positionem erectiorem, uterinam atque periodicam evacuationem; sicque argumentis nititur: In hac positione, inquit, uteri soecundi contenta, os ejus magis deprimunt, ut patulum siat: Copia quoque supervacanea, aliis periodice temporibus essus essus nunc placentam ab utero repellit; quae sic, vel in utero stagnata, putrelam acquirit, vel os ipsum uteri dilatat: His utrisque intermoritur soetus: Haec Monro.

ET revera quidem, licet Natura, per curam suam benignissimam, haec incommoda compensasset; ut quae, soetui humano, placentam majorem indulserit, et citiorem adhaessonem, quam in caeteris animalibus sieri videmus, essecrit: Unicuique tamen patebit,

animi

^{*} Med. Essays, vol. ii. art. 11. p. 207.

animi perturbationes, quibus obnoxii fumus; varia mortalium vivendi discrimina; aliorum vitam otiosam, aliorum laboriosam; multisaria appetituum ac libidinum irritamenta, et saciliores voluptatis potiundae delicias; conquisitissima, et non naturalia, locupletiorum cibaria; insalubria pauperiorum alimenta; conjurare omnia, in eas corporei systematis indoles introducendas, quae non solum totam morborum cohortem, quanta terris incubuerit, alant ac resocillent, verum etiam quae, sive compendiis, sive ambagibus, soecunditatis intempestivitati saveant, et de soetura conclamari pronuncient.

HAEC prospicienti, quam pulcherrime a Catone dictum suit! "Nullam capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem, esse hominibus a Natura datam: Cujus voluptatis avidae libidines temere et essenate ad poti-undum incitarentur." †

VITIUM

^{*} Cic. Cato Major. xii.

[†] Quid de judicio Creatoris, in primaevos Parentes denunciato, dicemus, tam belle apud Miltonium versificato!

[&]quot;Thy forrow I will greatly multiply

[&]quot;By thy conception; Children thou shalt bring

[&]quot;In forrow forth." Parad. Loft, lib. 10. vers. 20.

VITIUM hocce autem si forte evitaremus, munere quodam necessitatis, in alterum et contrarium verisimiliter demergeremur. Pendentia et ab utrisque mala, suturorum prudentia, prospiciens Solomon, rex ipse sapientissimus, auream diligebat mediocritatem: Sicque Deum precabatur; "Nec divitias, nec paupertatem, mihi dederis"! Nec mihi! exoro precorque!

C A P. VI.

RATIO SYMPTOMATUM.

Foeminae pleraeque, statim a conceptu, majorem sanguinis copiam accumulare incipiunt, quam aut corporis indoles indigeat, aut soetus in alimentum insumere valeat. Obtinente igitur hacce humorum redundantia, cernere possumus, quot modis, aliquando, a causa leviuscula, systema perturbetur, sanguinis momentum augeatur, et debita spirituum animalium secretio impediatur. Inde torpor; at cum pulsu citiore, plenioreque; concitato sanguinis

fanguinis motu circulatorio. Natura autem hoc malum propulsare conatur; quod alternis systematis concussionibus amovere nititur: Inde rigores, et horripilatio.

CAUSÆ dolorum in lumbis, et in ventre, nafcuntur ex eo, quod origo catastrophes hasce partes invaserit, et offenderit; vel ex uteri perpessione consentanea; vel e nimia sanguinis copia, eodem deducta, cujus rivis obruentibus vasa, distensa, oppleantur et turgescant.

NAUSEA, vomitusque, vel immoderato sanguinis influxui, per caetera viscera abdominalia demissi, vel stomachi cum utero conjurationi, debetur. Uteri tandem vis contractilis adeo augetur, ut oris uterini resistentia superetur, et aquarum transitus aperiatur; quae jam cruore tinctae, placentulae, totius, aut saltem partis, separatione, rubescunt.

MAMMÆ subsidunt: Quia sanguis, torrentibus plenioribus, rapidioribus, acceleratus, in uterum derivatur; vel quia singularis, et ubique consona, mammarum cum utero sympathia, conservatur.

Si fanguis ab utero promanare nondum inceperit, et si desectus animi super advenerint, deliquii causas, ab irritationibus adversariis concitatas, e suis latebris in Sensorio communi occultis et absconditis, altius repetendas, investigare oportebit*.

C A P. VII.

PROGNOSIS.

AD prognosin hujus morbi quod attineat: Cum Hippocrate observare licet +, quod in abortu semper fere periclitetur mulier. Effectus verò maligniores altius extimescendi sint, si proprios aegrotantis habitus, remotiores et intimas morbi causas, necnon et symptomata concomitantia, perponderare libuerit.

D AT

* Multa quidem, ac mira, necnon et varia, sunt phaenomena, quae, vel per minima offendicula, in nervis producuntur. Quo modo autem, mediantibus nervulis, hi motus tumultusque excitentur, explicari non potest; sed res facta est. Animi quidem latet haecce potestas, longo intervallo, nostris sensibus sejuncta; vis enim est, nominis expers, victantibus innata, et nullis legibus mechanicis investiganda.

+ De Superfoet. morb. mulier.

AT vero, priusquam haec omnia minutius exsequamur, animadvertamus liceat, quod praecipua partûs non naturalis adjutrix sit haemorrhagia, quae sere concomitatur.

Quippe, cum uterus nondum fatis distendatur, nec vires ejus contractiles liberius exerceantur, periculum restat, ne placentae solummodo pars ab utero separetur: Aut, si tota, ne adhuc in utero commoraretur, et haemorrhagiae saveret. Praeterea, hicce sluxus, in partu praematuro, quam naturali, magis adhuc pertimescendus est; quia, ut observat Riverius*, "In partu naturali, vasa et ligamenta, quibus soetus utero alligatur, sponte laxantur et solvuntur, quae in abortu abrumpi necesse est."

Primo itaque, ad aegrotantis idiofyncrafiam quod attineat: Pelvis angustior, placentam, licet ab utero discretam, demoratur, et
haemorrhagiae suffragatur. Nec minor haemorrhagiae formido, si foemina parum adoleverit, vel si primipara suerit: Quia tum
partes, majore renitentia, dilatantur; et placenta,

^{*} Prax. med. lib. xv.

centa, ab utero, difficilius separatur et expellitur.

Si jure haereditario mulier abortiat, infortunium fortasse levius et tolerabilius futurum.

SI laxiore corporis habitu constituatur, uterinae vires contractiles, eo, pro ratione, minores: E quibus fieri potest, ut placenta difficilius secernatur, uteroque molestissima expellatur; vel, etiamsi ex utero depelleretur, haemorrhagia tamen, haud raro fit, ut prae defectu virium, quae uterum ipsum, vasorumque orificium, contrahant, promanare non desierit. Ex quo etiam cernamus licet, cur foetûs amissio, sub extremis mensibus, sit magis formidolosa: Quia tum, sciz. vasa, conclave uterinum componentia, magis ac magis fint patula et capacia; fiquidem placenta difficilius separetur, et in utero adhuc retineatur.

An causas vero si spectemus; quo suerint violentiores, eo periculum erit gravius; atque alios effectus lethiferos, unà cum foetûs jactura et interitu, induxisse potuerint:

Quod etiam, a levissima causarum inspectione, contueri licuit.

SYMPTOMATA, nec minus, causarum violentiam respiciunt; nam, si causa sit violentior, ita et symptomata sutura. Puerperio inique peracto, dolores graviores in ventre, et circa uterum, grassantes, uterinas inslammationes indicant: "Et inslammatio uteri, ab aborsu contracta, ut plurimum, lethalis."* Sanguinis essuus, ab utero, violentior, in soemina praesertim imbecilliore, est plurimum extimescendus. Convulsiones etiam, et syncope, post insperatum deplorati ponderis essuusium, sunt ubique satales; sicut et observavit Aretreus.

CAP. VIII. PROPHYLAXIS.

SIQUANDO foemina, conceptu gravida, in futurae fobolis amittendae periculo versatur, prout a symptomatis quibusvis, hactenus commemoratis, indicatur; expertus sane Medicus, ut ea amoveantur, et ut calamitati adeo pestiferae occurratur, summa industria, pro-

cul dubio, conabitur: "Et qui servare sanos novit, bona parte eorum, quae ad tractandos aegros pertinent, instructus est*." Hoc autem ut efficiatur, imprimis, symptomatum talium causas exploratas habeat, oportebit; atque, si ea deinde prosligaverit, insestam cladem, maximam in partem, dimovebit. At vel hoc etiam ubique sieri nequit: Vel, si sieret, ubique non sufficeret. Hoc itaque consilio, quibus tandem rationibus, causae ipsae, aeque ac essectus perniciosi, dimoveri potuerint, leviuscule percensebimus; eisdem vestigiis incedentes, et eundem ordinem, quem in causis abortionis recensendis, assecuti.

§ 1. Idiosyncrasia. Quod si pelvis fabrica, Naturae malignioris, aut negligentioris, parsimonia, aut invidia, deficiat; in hoc utique casu, condecebit, si, toto ferme gestationis spatio, paritura foemina, cubilibus instratis, se contineat, defatigationes omnes sedulo devitet, aut laboris oblectamentis, haud immodicis, otia exerceat: Eo, ut libramina corporis interna conserventur, et gravidationi, oneris inclusi, in valvas uterinas devergenti, interdicatur.

De laxitate ac irritabilitate maturescentis aetatis muliebris agendum, prout suis locis occurrant.

Si prolis succrescentis occasus, insecuturus, ad jus haereditarium referatur; humani corporis indoles exploratius observetur, et, quantum fieri potest, medelis coërceatur.

Si causa, natalium sestivitati parum sida, fub laxiore corporis habitu latuerit; adhibeantur medicamenta corroborantia et astringentia, cort. Peruv. pulv. flypt. et varia stomachica.

ÆGRESCENS exercitatione modica utatur, ciboque calido, ficcoque, vescatur. Praeterea, si talis indolis conscia fuisset, priusquam in ventre conceperat, lavatio in aqua frigida saluberrimos effectus praestare potuit.

SENSIBILITAS Systematis nimia, cort. Peruv. opio, &c. et balineis frigidioribus, prout jam instituimus, omnino corrigatur. His igitur convenit cibus non adeo tenuis, fed potius haud difficulter, nec in copia exsuperante, subigendus.

Si plethorica sit mulier, venaesectiones parciores, iterataeque, folummodo profunt; evitatis,

evitatis, ob rationes supra memoratas, quantum sieri potuit, animi deliquiis.

Nunquam convenit alvus constipata; et, subdito subinde clystere, si lente non concitatur, commode apta, instituatur purgatio. Manna, cassiae pulp. sive sulph. lavatum, admodum conducunt. Commodissime autem descendit alvus, statis temporibus, sollicitata.

URINAE retentio, fomentis emollientibus, pubi aut perinaeo applicatis, vel cathetro demisso, sublevetur.

§ 2. Ingesta. Cibus, nimia copia deglutitus, purgatione mitiori, vomitu, aut, quod hoc in casu fortasse magis profuerit, jejunio, egeratur.

CIBORUM acescentium, medicinarumque stimuli, medicamentis blandis, oleosis, mucilagineis, ore anuve adhibendis, siunt hebetiores, obtusioresque.

§ 3. EXERCITATIONES violentiores, nisus, saltationes, &c. devitentur: Aut effectus maligniores, venaesectione, requiete, opiatis, &c. deliniantur.

32 DISSERTATIO

VIGILIIS ab immodicis praecaveatur; et fomnus, animi tranquillitate, soporificis, &c. restituetur.

§ 4. Passiones. Animi affectus motusque graviores, aliis et contrariis affectibus motibusque, haud gravioribus, lentius et cautius superinductis, concedent; vel, ablegatis omnibus mentis ardoribus, animique offendiculis, et advocatis placabilius imaginibus gratioribus, oblectamentisque blandioribus, obsopiti remollescent.

§ 5. Aeris status. Coeli tractus insalubris, commutato subinde domicilio, plagâve, mansuescit*: At, hoc si sieri nequit, aëris status, in cubiculis, perdomatur; socis luculentioribus, lignisque aromaticis, accensis, calefactus; storumque redolentium, fruticumque fragrantium, halitibus, &c. aut aquarum vaporibus inspersis, humesactus, et refrigeratus: Vel etiam, ventilatione subactus, attritus, et infractus, adapertis foribus et senestris, jucundioris aurae spiraculis, afslatu convalescit.

\$ 6.

^{* &}quot;Petatur igitur aër calore et frigore temperatus, quem medius fere obtinet collis, loco paululum intumescente, qui neque depressus hyeme pruinis torpet, aut torret aestate vaporibus." Columella De re rustica, lib. 1. cap. 4.

§ 6. Morbi. Omnes autem morbi, qualescunque, per methodos ab auctoribus propositas, ratione tantum aegrotantis habita, curantur. In postremis vero mensibus, evacuationes nimiae parum incolumes; ne soetus nutrimento suo privetur, aliique inanitionis essectus perniciosiores insequantur. Omnes etiam purgationes, vomitionesque, violentiores, ob easdem causas, et ne corpus nimis concutiatur, evitandae.

C A P. IX.

MEDENDI METHODUS.

SI prophylaxis, interea, parum profuerit; Opitulatoris falutiferi cura sit, ut laborum paroxysmi, insuper si ingruerint, venaesectionibus, opiatisque, deliniantur: Praecipue vero, si vel sebris intersit; vel si, propter inanitiones, hactenus iteratas, talia non conveniant.

SPASMI, qui uterum jam, plerumque, occupant, lenissimis antispasmodicis, interne assumptis, externeve abdomini applicatis, praecipue vero opiatis, praevertantur, vel curentur.

Sin autem sanguis ex utero stillatim sluat, victu leniore, venaesectionibus iteratis, opiatisque, occurrendum.

SITUS convenit cum hypogastrio elevato, et abdomine lente fasciis involuto.

AQUA frigida, fach. Satur. commixta, lumbis, pubique, applicetur: Ac porro, si copiosius dilabatur sanguis, pulv. stypt. et tinct. antiph. in auxilium advocentur.

Sr vero sanguis non stillicidio labatur, at majoribus undis, ubertim exuberans, feratur, adeo ut aegrota de vita periclitetur; praecipue, si membranae solutae suerint, aquae desluxerint, et soemina, desetiscens, elanguerit: Ad tristius opus, et lugubrius, licet invitus, oportet, ut accingatur Opiser peritus; soetusque miserabilis, arte manuque, quam citissime, foras edatur; haemorrhagia, convulsio, spasmus, febrisque, sectatrices, sedulo praecaveantur.

HAEMORRHAGIAM, ex praeceptis, jam traditis, arceremus, praestaret: At vero, notatu dignum, hoc tantum discriminis interest, Quod protenus, audacius procedamus, liceat; et venaesectionis usus, cum majoribus sanitatis emolumentis, ad deliquium usque, concedatur.

Si placentae commoratio, fanguinisve grumosi cunctatio, suerit in causa; hujusmodi remora, summis artibus, eliciatur, et sunditus eliminetur.

Contractiones spasmodicae, convulsionesque uterinae, levioribus antispasmodicis, opioque praecipue, curentur et sanentur.

IMBECILLITAS corporea, quae tantas inanitiones vulgo consequitur, diaeta liberaliori, jusculis lautioribus, esculentis gelatinis, &c. coërceatur: Atque, si haemorrhagiae periclitatio, febrisque incursio, absuerit; medicamentis cardiacis, expugnata, pessum abeat et intereat.

FEBRICITATIO, victu tenuiori, ventris per clysmata emollientia solutione, et aëris frigidioris temperamento; sin autem violentior adfuerit, et inflammationis indicia extentior, venaesectione, vincatur et mollescat.

Quum vero, facta partus jactura, defrustrato propaginis defunctae praesidio, relictoque inani parentibus desiderio, lac maternum, inutile, profluum, pro nihilo aestimetur, aut retro in sanguinem dilapsum referatur; oportebit, ut exhalationes promoveamus, et sudores, puerperis forte omnibus communes, soveamus et resocillemus: Succus enim nocivus, hac via commodius exhaustus, diffugiet; et mammae maternae, vaporatione depletae, et lacte exsiccatae, desoccatis tumoribus, subsident, et convalescent*.

AT postremo tandem, quando soemina falutem adeo recuperaverit, et redivivis viribus invaluerit, ut sese exsuscitet, et a stramentis assurgat; exercitiis deinde leviusculis, cort. Peruv. et immersionibus frigidioribus, robur corporeum consirmet: Vel quascuis indoles corporis maligniores, e Medicorum praescriptis et institutis, moderetur, et in meliora resiciat: Ac denique, causas hujus imbecillitatis, altius haerentes, et è longiuquo imminentes, experientia edocta, periculisque erepta, desugiat; secundae valetudini prospiciat,

^{*} Uti monuit noster, expertissimus oculatissimusque Artis Obstetricatoriae Professor, CL. YOUNG, in praelectionibus suis ingeniosissimis.

prospiciat, uterumque in naturalem foecunditatis praestantiam vindicet.

HAEC quae potui! Sique haecce obstet tractatio, quominus abortiat mulier, haud abortiente dissertatione mea, gaudeo.—Atqui, Auxilium! claricitat, parturiens, puerperaque, JUNO LUCINA! fer opem!

Sentio enim, me esse longius porrectum, ultra terminum, usitate, propritimque, opusculis hujusmodi propositum. Continuo igitur sinem facio: Judices mitiorem exposcens sententiam, juveni condonantes: Indoctis circumspectum exoptans judicium; ne, quod plerisque accidit, admirabili quodam lepore proprio dicendi, damnent quod non intelligunt: Eas denique obsecrans, almae Veneris soboles elegantiores, virorum delicias, operisque nostri, solummodo forte, materies decoras, ut non Opus, at potius Scriptoris quid velit Animus, conspiciant.

profpiciat, external que in naturalem foccun-

Hase quemines abortist mulier, hand and bestieste differences meas gaudeo.—Atqui.

Sexurio en im, merede longua porredum, ultra terminata, ultrate, proprintaque, opulculis, hajudinodi propolitura, el Continuo igiter finens facio adjudices mitiorem es polocos dentinens facio adjudices mitiorem es polocos dentinens finensis, juvanti cendonantes: Indoctis circum periore davidit, adament judicium, nel quodi pieviliare davidit, adament iquod non intelliguati, finendi, dament iquod non intelliguati, finendi dament iquod non intelliguati, finendi foluminado torte, materies decot rus, ut non Opus, et polius Scriptoris quid velir tat, ut non Opus, et polius Scriptoris quid velir tat, ut non Opus, et polius Scriptoris quid velir tat, ut non Opus, et polius Scriptoris quid velir tat, ut non Opus, et polius Scriptoris quid velir attantas, confinciant, au mon Opus, et polius Scriptoris quid velir

a i was a